

F. J. 55. 69

Z 6
2010

X 204 7344

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FUNUS

CELEBERRIMI POLYHISTORIS,

Hoc Est,

VIRI

*AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, DE QUÆ HAC ALMA, ET
STUDIOSA JUVENTUTE LONGE MERITISSIMI*


CHRISTIAN-FRIDE-
RICI FRANCKENSTEINII,


LATINÆ LINGVÆ ET HISTORIARUM
PROF. PUBLICI, FACULT. PHILOS. SENIORIS, ALUMNO-
RUM ELECTORALIIUM EPHORI, MAJORIS COLLEGII
COLLEGIATI ET ACADEMIÆ DECEM-VIRI

HORA I.

SOLENNITER EX DOMO PRINCIPUM
EFFERENDUM

PROCERIBUS CIVIBUSQVE ACADEMICIS
INDICIT.




 Livam Christiani veteres cœmeterialibus passim tabulis affigebant, teste Paulo Aringhio, qui post Antonium Bosium, Joh. Severanum, aliosque Scriptores cum antiqua Christianorum reliqua, tum Martyrum cum primis monumenta detexit in Roma subterranea, & conspicienda omnibus propinavit. Ejusdem arboris ramusculos (ut in rem statim ipsam veniamus) sibi jure quodam vindicat sepulcrum celeberrimi nostri Polyhistoris FRANCKENSTEINII, sive svavisimum FRIDERICI, quo insignitus erat, nomen, sive placidum ejus pacisque studiosissimum ingenium, sive victoriam, pacemque in CHRISTO nunc obtentam, seu tempus denique emortuale contemplemur. Vivis enim excessit ipsis Kalendis Norembris, ipsaque adeo Parasceve festi Eucharistici, quod pro reddita Imperio Romano-Germanico Pace Serenissimus Saxoniae Elector, idemque Nutritus noster indulgentissimus solenniter celebrari pro summa illa & in Deum pietate & in subditos providentia voluerat. Pacis autem hieroglyphicum semper fuit oliva, quam & Patres patrati ac faciales, pacisque Oratores gestare manu consueverunt; cuiusmodi in sensum & Olivam illam abs columba Noachi redeunte allatam Tertullianus trahit, lib. II. de baptismo c. VIII. pie ac pulchre sic differens: *Quemadmodum post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (ut ita dixerim) mundi pacem caelestis irae, praeo columba terris annunciavit dimissa ex arca & cum olea reversa: quod signum etiam apud Nationes praetenditur. Eadem dispositione spiritalis effectus terrae, id est, carni nostrae emergenti de lavacro, post vetera delicta columba sancti spiritus advolat, pacem DEI adferens, emissa de caelis, ubi Ecclesia est arca figurata.* Sed Olivae id genus sepulcralis vicem obtinere nunc commodum potest scitissima illa Inscriptio beatissimis & πατρὶν FRANCKENSTEINII manibus consecrata à dilectissimo Ejus Genero, Venerabili, inquam, atque edecumato Theologo D. JOHANNE OLEARIO. Neque alii non erunt, ingenio atque eloquio mirum quantum valentes, qui paciferae, ut Virgilius vocat, Olivae furculos affigere FRANCKENSTEINII excellentissimi tumulo non pigra buntur. Vita interim Viri meritissimi à Nobis quoque, pro eo ac sicutum est, perennivivae memoriae tabulis inscribenda est. At utinam historiam vitae suae stylo Franckensteiniano, h. e. terso ac polito (talem enim ex merito censuit Buchnerus, Vir elegantiarum latinarum consultissimus) conscriptam reliquisset incomparabilis Historicus! Ita enim & fasce aliquo levaremur nos, & laudes tam egregii Varronis non festinatis adeo ac minus elaboratis verbis detererentur. Faciemus tamen officio nostro, quantum pote, satis, persuasissimi apud animum, disertissimos FRANCKENSTEINII praecones deinceps tempore haut defuturos. Patrem sortitus est Virum nobilissimum ac consultissimum CHRISTIANUM FRANCKENSTEINIUM, J. U. D. Patronumque causarum famigerabilem, & Senatorem Reip. Lipsicae designatum, eumque ex PAULO FRANCKENSTEINIO, Scabino ac Consule hujus Urbis amplissimo, & foeminam ex celebri DISTELMEIERORUM prosapia descendente progenitum; & matrem, foeminam emendatissimam NICOLAI VOLCKMARI Mercatoris primarii & MARIAE ROTHAUPTIAE filiam. Natus autem est hac in Urbe d. XX. Augusti Anno M. DC. XXI, & CHRISTIANI FRIDERICI nomine ad fontem salutis mox signatus, non aliam, opinor, fini, quam ut Christianam pacem per vitam omnem sollicitè venaretur. Incidebat enim ejus nativitas in id temporis, quo post pacem à Pragensibus, ut sic dicamus, defenestratam bellum illud Bohemico-Germanicum, quod in annos usque XXX. extractum esse nemo ignorat, pede impigro consequeretur. FRANCKENSTEINIUS interim, uti divinam praeditus erat indole, ita fidelissimos duces nactus M. ADAMUM ROTHIIUM, SS. Theolog. Baccalaureum, & M. HIERONYMUM RECKLEBENIUM, insignem Organi Aristotelici professorem, ad stuporem usque in literis artibusque proficiebat. Anno enim sexto ac decimo vix completo laurum Philosophiae primam referebat, nec lectorem tantum diebus Cerealibus, seu, ut communiter vocant, Canicularibus vicarium agebat, sed & sub clarissimis Magistris GUNTZELIO, KLINGERO & LANGIO, postea Medicinae Doctore ac PP. quantum in Philosophia & arte disputandi praestitisset, publice nec sine meritissimo Musarum applausu ostendebat. Solidae enim ac minus usitatae eruditionis cupidine
 dine

dine semel incensus neque mortibus Parentum carissimorum (mater enim optima Anno XXXIII. Parens nobilissimus Anno XXXVII. his terris eximiebatur) neque calamitatibus aliis revocari sese ab instituto suo patiebatur, perumpendum per aspera ad astra existimans, & quod Albis subinde Studioforum inscribentibus, tentandam esse viam, quâ se quoque humo possit tollere. Majora Studiorum capessiturus præmia Triumvros Professorii Ordinis celebratissimos CONRADUM BAVARUM, ANDR. CORVINUM & quem Patris loco venerabatur, PHILIPPUM MULLERUM sectabatur, à Suffenis aliis toto, quod ajunt, cælo distans, qui, sapere sibi solis cum videantur, publicas fusque deque habent acroases, & loco perca tandem, Heidero judice, scorpionem capientes mirificas vel in Ecclesia vel in Republ. turbas movent. Reportatâ summâ Philosophiæ laureâ non tam se à laurea, quam lauream exornari à se voluit, turpissimum ratus Magistri gaudere titulo, & non omnia reapse Magisterii puncta adimplere. Disputationibus igitur binis, quarum alteram de Luna, alteram de maculis solaribus conscripserat, Magistrum sese non erubescendum, sed longè omnium dignissimum approbavit. Patefacto sic ad altiora tramite pro Themide, cujus Sacerdotem se Parens profitebatur, Eusebium eligebat, & famâ celeberrimæ Theologorum bigæ, JACOBI MARTINI & JOHANNIS SCHARFFII inflammatus Wittebergam concedebat, splendidissimis horum luminum radiis se convestiturus. Nec spe suâ excidere sivit FRANCKENSTEINIUM incredibilis Theologorum laudatorum humanitas. Uterque enim Eum amavit ceu filium, & rerum sacrarum notitiâ non tralatitiâ imbuat, cujus rei testis hodieque est disputatio illa de Principio fidei sub acutissimo MARTINI habita. Cæterum quamvis in exteras etiam Academias excurrere induxisset animum, à calamitatibus tamen bellicis ad incitas propemodum redactus desistere ab illo proposito cogebatur. Cum enim ab Arctoo milite obsideretur hæc Lipsia, fortunarum suarum ingens naufragium patiebatur, molâ Thomanâ in cinerem redactâ, hortoque & ædibus appertinentibus miserandum in modum devastatis. Duro itaque necessitatis telo urgente non Tertiatum tantum & Conrectoratum Scholæ Nicolaitanæ, sed & functionem templi Sabbaticam exambiit. His muneribus potitus, enunciari non potest, quâ dexteritate, quâ fide per aliquot annos ea obierit. Nec minorem ex Facultate Philosophicâ, cujus in Senatuum post edita ritè specimina Anno XLIV. cooptabatur, laudem reportabat. Nam & Examinatoris partes expediebat egregiè, & Decanatum Anno L. sibi collatum eâ, quâ par, prudentiâ administrabat. Neque enim Theologum tantum examusitatum moliebatur FRANCKENSTEINIUS, sed Philosophum pariter ac Philologum nulli secundum. Quam in rem non parum faciebat illustre illud COLLEGIUM GELLIANUM à RAPPOLTIS, STRAUCHIIS & ZIEGLERIS (at quantis Viris!) inchoatum feliciter, & per BORNIOS, SCHERZEROS, ALBERTOS & OLEARIOS, quibus & nos interesse non diffitemur, hucusque continuatum & deinceps quoque in Bibliothecâ publicâ, bono cum DEO, continuandum. Nam uti proponi in illo argumenta ex amplissimo rerum scibilium circulo non ignorabat, ita adjungi Gellianis desiderabat cum maxime, voti que sui damnatus longè plurimos eosque selectissimos in mellificium illud favos congescit, Senioris quippe & nomine & munere in laudatissima hac societate maectatus. Nec contineri intra patriæ pomeria potuit tam rari & cari ingenii celebritas. Cum enim fati concessisset CHRISTIANUS GVEINTZIUS, Gymnasiarcha Halensis & Panepistemon sine pari, FRANCKENSTEINIUS noster dignissimus præter cæteros visus est Æneas, qui navem illam, excusso Palinuro, dirigeret. Et verò direxit feliciter, seqve successorem GVEINTZIO non imparem tot præclaris doctrinæ omnigenæ speciminibus demonstravit. Sed Patriæ cum primis Academiæ destinatum fuisse hoc cæli depositum eventus docuit. Vocato enim An. LII. ad Juridicam Jenensium exhedram JOHANNES STRAUCHIO, Historiarum ac Latinæ Lingvæ Professore in hac Alma celeberrimo, non alius ipsi successor datus est, nisi amicissimus Gellianus, FRANCKENSTEINIUS; atque uti theatrum sic nactus est ingenio studiisque suis quam convenientissimum, ita Roscium in hoc ad extrema usque se stitit, quoniam in Lipsiæ suæ id fuit, quod *Lipsius &*
Me-

FR 26 2010

Merula Lugduno Batavorum, *Bæclerus* Argentinæ, & Jenæ vicinæ *Bosius*. Verum ut vara trahit vibiam, secundum paræmiã, ita hoc quoque publicum docendi munus decora & axiomata alia exceperunt. Nam ut de Procancellariatu ac Decanatu, quibus vice plus simplici laudabiliter functus est, nihil jam dicamus, purpuram regni hujusce literarii gessit Anno LXII. thesaurosque politicæ prudentiæ reconditos ad salutem Academicam promovendam depromsit. Idemque fecit dexterrimè, ex quo post adeptam Alumnorum Electoralium Ephoriam & Decemviratus Academiae, & Facult. Philosophicæ Senioratus fuit ipsi delegatus. Salutem namque Academiae legem supremam esse existimans, non minus pro ejus & Facultatis, quam pro Stipendiatorum sibi concreditorum commodis pernox perdius excubavit, dignissimus id propter, qui cum Bornero, Camerario, Dressero, Friderico, Mullero, aliisque meritisimis Viris memoriæ indelebili fano inferatur. Sed hæc attigisse saltem sufficiat. Neque enim deerunt facundissimi Oratores, FRANCKENSTEINII merita adseramusque posteritatem tralaturi. Veniendum nunc ad thalamos, antequam ad tumulum ipsum accedamus. Prima uxor Anno L. ei contigit Virgo profapiae ac virtutis probatissima MAGDALENA, GOTHOFREDI GROSII, Senatoris prudentissimi & Bibliopolæ apud Lipsienses primicerii filia, eaque suavissima & concordissima vitæ consors, ex qua quinque liberos sustulit, tres videlicet filios ac binas sexus senioris, sed non nisi duos vidit superstites, CHRISTIANUM FRIDERICUM, Jurium Cultorem solertissimum, & CHRISTINAM MAGDALENAM, Viro Nobilissimo, Excellentissimo, Consultissimoque FRIDERICO GEISLERO, J. U. D. & P. P. nunc beato, nuptui datam & duarum ex eo filiarum, ROSINAE MAGDALENÆ & DOROTHEAE ELISABETHÆ matrem factam. Altera verò Anno LX. magnarum virtutum fœmina ELISABETHA, data MERCKIA, & L. PHILIPPI MULLERI, Celeberrimi Mathematicum in hac Philurea Professoris, Majoris Collegii Collegiati, Alumnorum Electoralium Ephori, Academiae Decemviri, nec Facultatis tantum Philosophicæ, sed & totius Academiae Senioris undique optime meriti relicta vidua, quæ non incredibili tantum fide & prudenti rei Oeconomicæ administratione, sed unici quoque filii GOTHOFREDI CHRISTIANI in Alma Gießensi studiorum gratiã nunc commorantis, ingentemque de se spem ostentantis proventu conjugum isthoc secundum verè secundum reddidit. Hos thalamos autem excepit tumulus, sic tamen, ut lentus admodum morboseum antegrederetur. Annus enim propemodum est, ex quo conflictari cum tusfi angustiaque spiritus occœpit Vir laudatissimus. Quorum alterum illud malum cum in siccum tandem & convulsivum asthma degeneraret, non retardare somnum, & vires depopulari sensim non potuit. Accessit tandem & tumor pedum, qui magis magisque increscens respirationem difficiliorem longè reddidit, imò spiritum tandem ipsum interclusit. Etenim nec Medicorum optimorum vigilantia nec exquisitissima Maritæ cura allevamenti quicquam nedum sanitatem reducere ipsam poterat. FRANCKENSTEINIUS verò, quò minorem sibi vitæ hujus retinendæ spem superesse animadvertibat, hoc citius ac diligentius de alterâ vitâ cogitabat, nobisque advocatis, quibus curam animæ suæ commiserat, post exomologesin non semel factam sacra mysteria tanquam vitæ & pacis æternæ pignora iterum atque iterum præberi sibi petiit. Et ecce pacem tandem in Christo (nam hic pax nostra, dicente Apostolo) impetravit eoipse die, qui Sacra illa pro redonata pace Eucharistica quam proximè antecederat. Dicendum ergò de FRANCKENSTEINIO nostro, quod Hoseas c. XIV. de resipiscentibus & electis in populo pronuntiavit: *Et erit quasi oliva gloria ejus*. Oliva enim perpetuæ viriditatis est in vita altera; neque fama ejus non Olivæ instar, quoad aliquis & literis & literatis honos constabit, florida in his terriberrimi hujus & verè Christiani FRIDERICI viridantibus oleæ ramis exornetur; id quod factum tum à Vobis interpretabimur, si justa Ei post horam I. frequentia, quantâ potestis, maximâ (tantam enim & Viri merita exigunt, & nos à vobis exposcimus) persolveritis. P. P. Lipsiæ D. X. Novembr. Ann. Ær. Chr. M DC LXXIX.

L I P S I Æ,
LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.

1077

F. J. 55. 69

Z6
2010

X 204 7344

RECTO
 ACADEMIÆ LIP
 FUNUS
 CELEBERRIMI POLYH
 Hoc Est,
 VIRI
 AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, DE
 STUDIOSA JUVENTUTE LONGA
 CHRISTIAN
 RICI FRANCKEN
 LATINÆ LINGVÆ ET
 PROF. PUBLICI, FACULT. PHILOS.
 RUM ELECTORALIU EPHORI,
 COLLEGIATI ET ACADEMI
 HORA I.
 SOLENNITER EX DOMO
 EFFERENDUM
 PROCERIBUS CIVIBUSQ
 INDICI



BIBLIO
 PONICIA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (SMLE)

